

**1227-1241 – SS Gregorius VIII – Cum Relicta Speculi [AD 1235-05-18]**

<http://www.procasp.org.br/>

Cum relictis saeculi (1235)

Dilectis filiabus Agneti Abbatissae Monasterii Pragensis Sancti Francisci, ejusque Sororibus inclusis Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

1. Cum relictis saeculi vanitate fragilitatem vestram in stabilitatem perpetuam voluntarie convertentes, spretis mundanis illecebris, iter perfectionis, et Religiosae vitae propositum providentia sitis Divina pietatis ingressae, ac pauperes eligentes pauperem sequi Christum in suprema paupertate desideretis Domino famulari;

2. Nos pium, et sanctum vestrum propositum inspiratum vobis divinitus dignis in Domino laudibus extollentes, ac prosequentes actionibus gratiarum, vestris supplicationibus inclinati Hospitale Sancti Francisci, juxta Monasterium vestrum situm, quod tu filia Abbatissa in fundo Romanae Ecclesiae construxisti, cum pertinentiis suis eidem Monasterio perpetuo duximus concedendum: nihilominus statuentes ut idem Hospitale cum omnibus bonis suis a Monasterio ipso nullo modo, vel ingenio valeat separari; sed proventus possessionum illius usibus vestris et earum quae successerint vobis, cedant; auctoritate Sedis Apostolicae semper salva.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Perusii XV Kalendas Junii, pontificatus nostri anno nono.